





1. Michaelis / Joh. Georg / diff. de viro stante
inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller / Christoph Gottf. / diff. de Genuina
vorum xarakter et ypostasi notione,
Lippsiæ 1738.
3. Mosheim / Joh. Laur. / diff. de jesu Christo
vindice dogmatis de mortuorum ad
vitam reditu, Helmst. 1740.
4. Müller / Gottfr. Ern / diff. de papolatricia.
Lippsiæ 1726.
5. Müller / phil. / diff. de jure Dei in Homines;
jensæ 1701.
6. diff. de regno Israelis restauran-
do, jensæ 1704.
7. crocodilus lachrimans, jensæ 1733
8. diff. de Jesu Christo deandropo, jensæ
1704
9. diff. de gloria mundi jensæ 1661.

251
MEDITATIONES SACRÆ
CONTINENTES
QUÆSTIONES PROBLEMATICAS
DE
ΑΓΓΕΛΟΓΡΑΦΙΑ

ELABORATÆ AC PROPOSITÆ

Α

JOHANN. VALER. LUDOV. NIEDER,
SS. THEOL. ac PHILOL. CULTORE.



GIESSÆ
TYPIS EBERH. HENR. LAMMERS ACAD. TYPOGR.
MDCCXXXIIX,

UND ERBENDE SACRAE

CO. LIBRIS

IN HONORE S. MARTINI

DE

ALPHABETICA

PLACONTE AC PROSIT

JOHANNES VALENTINUS

DE THEO. LIBRIS



ALPHABETICA

1700



VIRO

*PLURIMUM VENERANDO, AMPLISSIMO,
ATQUE DOCTISSIMO DOMINO*

DOMINO

BALTH. WILH. HABERKORN,

ECCLESIAE ALSFELDENSIS PASTORI PRIMARIO
RELIQUARUMQUE EJUSDEM CONVENTUS
INSPECTORI VIGILANTISSIMO
OPTIMEQUE MERITO.

Nec Non

VIRO

*PER QUAM REVERENDO, CLARISSIMO
ATQUE DOCTISSIMO DOMINO*

DOMINO

OTTO. CHRISTOPH. WELCKER,

PASTORI ECCLESIAE ALSFELDENSIS SECUNDARIO,
MERITISSIMO AC FIDELISSIMO.

DOMINIS, PATRONIS,

ATQUE

FAUTORIBUS SUIS

NON INTERMORITURA PIETATE COLENDISSIMIS

HASCE PAGELLAS

PIETATIS ET OBSERVANTIAE DOCUMENTUM

EA, QUA DECET, OBSERVANTIA

DEVOTE OFFERT, DEDICAT AC CONSECRAT

AUCTOR.

JOH. VALER. LUD. NIEDER

SS. THEOL. AC PHILOL. CULTOR.





VIRI

*PLURIMUM ET PERQUAM
REVERENDI, AMPLISSIME,
DOCTISSIMI, PATRONI
SUMME OBSERVANDI!*

Audenti mihi VOS, DOMINI VENE-
RANDI, abjectis his litteris summa, qua
par erat, animi submissione compellare; veni-
am dabit pietas vestra, & quæ omnium ore
concelebratur, humanitas summa. Qua eo
magis indigere videor, quoniam simul anni-
sus tum præsentis dedicatione meam, qua erga
VOS demisse feror, animi religionem testari.
Occasionem rimabar declarandi, quanta VO-
BIS, qui Ecclesiæ patriæ curam geritis quoti-
dianam atque proficuum, a me, humanitate
& favore VESTRO obstricto, debeatur re-

ve-

verentia, Commodior ea se mihi non offere-
bat, quam ut hoc meum tertium Minervæ do-
num, luci publicæ expositum, exiguum licet,
Amplissimis Nominibus VESTRIS, nunquam
satis a me devenerandis, consecrarem devote,
atque ad pedes VESTROS devolverem. Ita
enim speravi fore, ut officio meo aliqua sal-
tem ratione satisfacerem. Obsecro itaque VOS,
velitis hunc meum conatum, ex pio atque sub-
missō pectore profectum, benigne interpreta-
ri, atque me, nec non studia mea, si quæ sunt,
VOBIS de meliori nota habere commendata.
Numen in coelis summum sua VOBIS adsit
gratia, quo Ecclesia ex sapientissimis VESTRIS
consiliis majora in dies capiat incrementa;
VESTER quoque & familiarum Vestrarum,
prisca nobilitate insignium, splendor atque
decus crescat quotidie, ut, quamdiu Spiri-
tus hos meos regit artus, in VOBIS habeam,
quod submisisse veneror. Sum

*AMPLISSIMORUM NOMI-
NUM VESTRORUM*

Dabam Alsfeldiæ e Museo meo

d. 3. Jan. 1738.

Devotus Cultor
J. V. L. NIEDER.



PRÆFATIUNCULA.

Licet *Primitiæ mea Alsfeldenses*, quæ prima vice 1736. *Norimbergæ in forma octava typis excusa fuere*; varia iniqua & invidiosa judicia sustinuerint; (Nam, qui aliquid dicit, & probare nescit, levitatis arguitur, si id, quod dixit, præsumtionem juris pro se habere non est in propatulo.) Nequaquam tamen illa prohibere poterunt, quin postea *Observationes meæ sacræ, anno 1737. in lucem editæ*, magno applausu Virorum Doctissimorum, quorum propensam erga me voluntatem ex illorum judiciis satis superque perspexi, & qui non penitus sibi illas displicuisse scriptis testati sunt, exciperentur; immo quin potius dignæ fuerint iudicatæ, quæ ab Auctoribus Actorum literariorum, in 3ten Stück / pag. 203; und in Beytrag zum Reich Gottes / publico laudis ornamento ornarentur. Eo libentius igitur nunc accedo ad hoc negotium, & sisto promissum, quo me in memoratis jam observationibus sacris obstrictum & devinctum feci. Tela incepta tandem aliquando est pertexenda, variis impedimentis, quæ remoram huc usque iniecerunt, sublatis. Offero itaque tertium hoc ingenii mei specimen, filo quidem vilissimo, & eo minus eruditionis ac comtæ elegantisque doctrinæ apparatus, quem oculus forsitan ἀλλόγιστος expectat atque desiderat, contextum tantum non ac elaboratum, nullus plane dubitans, quin eo, quo a-

lios



lios inferioris forsan conditionis audire ac perlegere soles
affectu, meas etiam hasce pagellas, beaturus, benignam-
que ac serena fronte conceptam sententiam, quamvis non
in omnibus rem acu tetigisse videbor, sis laturus, eo quod
nullus Doctor vel artium vel scientiarum Magister hujus
mundi theatrum adspexerit, sed contraria potius via eun-
dum, ac uti alias de Poëtis, dicendum sit: Docti non
nascuntur sed fiunt. Materia vero præfens diligenti con-
templatione est dignissima; doctrina consolatione ple-
nissima. Præstantissimas enim Dei creaturas esse Angelos,
& principem inter præclara Dei opera tenere locum, at-
que ex simplicitate sua majorem cum Deo, quam homi-
nes, habere convenientiam, corporibus præstare, & a-
nimas hominum antecellere, nemo facile, ut arbitror,
negabit. Idcirco nonnulla notatu dignissima e doctri-
na de Angelis concinna brevitate proposui, & publicæ
disquisitioni subjicere in animum induxi. Accipe igitur,
B. L., hanc meam opellam, eo quo scripta est corde
ac vultu, sic enim fiet, ut in dies ad majora me incites,
Deique gloria ac proximi salus ac emolumentum augea-
tur. Ille summus altor mundi concedat mihi sapientiam
suam de cælo, ut mecum sit, mecumque laboret, ne
vel verbo in tremendam ejus Majestatem impingam, hoc
ut experiar, invoco semper bonum Deum; his finiens
æθλογοῦ verbis:

Patris amor foveat, Nati me passio salvet,

Me faciat sancti Flaminis aura piùm.

De Patre, de Patris Nato, de Flamine sacro

Mens & sermo mihi quotidianus erit.

CAP. I.



CAP. I.

DE EXISTENTIA ANGELORUM.

§. I.

Philosophi res creatas communiter dividunt in spirituales & materiales, sive cogitantes & extensas. Corporis nomine omne genus substantiæ materialis, hoc est, extensæ intelligitur, qualiscunque illa sit, sive crassa, sive subtilis. Vocatur autem substantia immaterialis, sive incorporea, quæ extensione caret, quæque illa omnia accidentia sive modos refugit, quæ substantiam corpoream comitantur. Ex quo apparet, quam improprie spiritus vocabulum, aeri, vento, igni, vaporibus, &c. tribuitur, quia, licet res huiusmodi ceteris tenuiores subtilioresque sint, non tamen desinunt esse materiales, & in partes in infinitum divisibiles. De substantiis igitur, quæ pure immateriales dicuntur, sive Angelis, hic tractandum suscipimus.

§. II.

Circa illos igitur primo inquirimus, an existant? Præter Deum & animam hominis, alias adhuc extare creaturas, seu spiritus, hoc est, substantias materiæ expertes, intellectuque non tantum & voluntate, sed potentia etiam movendi corpora, & in ea agendi præditas, nulloque cum corpore conjunctas, variæ illorum, quæ certissimis documentis constant, nos dubitare non sinunt operationes, hinc & nostra non indiget probatione, quod nemo in universum, illos negatum ire potest, qui vel lumine naturæ recte utitur, vel sacras inspicit litteras. Geminum enim utrimque, ut horum existentiam agnoscat, principium habebit.

§. III.

Jam ex rationis usu, eam statuet verisimillimam. A priori quidem existentia Angelorum demonstrari nequit; nam si per aliquam rationem posset illa probari argumento a priori, probandum esset, Deum, qui rerum omnium est opifex, Angelos defacto produxisse. Cum vero talis productio, sive creatio, liberrima sit, & a mera Dei

Dei voluntate dependeat; quæ voluntas non nisi speciali revelatione nobis innotescere potest, concludendum est, Angelorum existentiam a priori ostendi non posse.

§. IV.

Perpetuæ enim veritatis illud esse nobis persuademus; nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Unde necesse est, omne objectum intellectus nostri naturale aliquando fuisse sensibilis; scilicet non quidem quoad se, & in quantum est intelligibile, sed quoad aliquam sui rationem. Atque hinc patescit simul, modus cognoscendi objectum naturale debitus; quicquid enim ex lumine naturæ per intellectum apprehendi & cognosci debet, id sensuum ope ad intellectus iudicium primum devolvendum est. Quibus præmissis sic argumentatur: Quodcumque nullo modo in sensus devenit, de eo neque notitia naturalis habere potest; Atqui Angeli nullo modo in sensus deveniunt, ut Angeli sive substantiæ separatae intelligentes; Ergo de Angelis notitia naturalis haberi non potest.

§. V.

Ut autem argumento nostro majorem offeramus lucem, varios explicabimus modos, quibus res aliqua ad sensus nostros pervenire queat; (scilicet α) primo, immediate & per se, ut accidentia singularia; quæ substantiam corpoream afficiunt. β) mediate, per aliud, nec non per accid. &c. ut substantia composita singularis, non enim huiusmodi substantiæ per se in sensus incurunt; sed quatenus immerse sunt accidentibus, ex quibus dignoscuntur. γ) ex toto, ut si nulla pars rei conspiciendæ visum nostrum effugerit. δ) ex parte, ut si aliquam rei partem sentias, indeque reliquas esse colligas. ϵ) per causam, ut aquam non posse non dici calidam, eo quod igni fuerit apposita; item arbores latifolias amittere tempore hyberno folia, cum humor sit congelatus. ζ) per effectus, ut Deus & anima in corpore per operationes sibi proprias sub sensum bene cadunt. η) per opposita, ut cæcitas ex visu, scibile ex scientia dijudicatur. θ) per fundamentum, ut universalia per singularia, tanquam bases & universalium fundamenta ad sensus perveniunt. ι) per simile quid, sive id vera tale fuerit, sive analogice. Nunc, recensitis hisce modis, subsumimus: Atqui nullus datur horum modorum, per quem Angeli in sensus deveniant, scilicet distincte, & ut tales; Ergo notitia naturalis de iis nulla dabitur.

B

§. VI

§. VI.

Potest vero existentia Angelorum adhibito rationis usu a posteriori demonstrari. Quia de nonstratio a posteriori est ea, quæ datur ab effectibus; atqui possunt tales rationes afferri, quibus probetur illorum existentia; Ergo &c. Probant illam homines illi a dæmonibus obsessi, qui, licet natura tardi ingenioque hebetes sint, nihilominus peregrino idiomate sermones proferunt, & tanquam scientiarum arcana penetrarent, de illis loquuntur & differunt, absentes præfaciunt, & quæ ab illis fiunt, aut patrantur, detegunt, in altum elevantur, & cætera id genus stupenda perpetrant. Conf. de his Joh. Baptist. Gonet, Tom. II. Cyp. Theol. Thomist. Disput. Præm. §. 3. experientia, inquit, constat, multa ab ενεργυμένοις fieri, quæ vires totius naturæ eo potèz superant; videmus enim puellas rusticas & ignaras, linguam maternam vix callentes Δαιμονοπολλεξία affectas loqui latina, græca, & hebraica lingua, pangere carmina, divinari & secreta detegere; sed hoc non possunt præstare, nisi ab aliqua superiori & incorporea substantia moverentur, quæ nulla alia esse potest, quam malus Angelus sive Dæmon. Ergo dari Angelos in rerum natura ipsa etiam comprobatur experientia.

§. VII.

Probant etiam idolorum responsa, Augurum prædictiones, & motiones illæ insolitæ, quarum causæ non sensu, non ratione naturali deprehendi possunt, & non nisi ab invisibilibus motoribus fieri. Nam cum quibusdam dicendum non est, hujusmodi effectus a causa prima produci, Deus enim nunquam sibi adversatur, nec aliquid agit in honoris sui detrimentum; qualia sunt idolorum oracula, & ea, quæ ab energumenis fiunt, quæ sæpe blasphemia sunt & impia: quare admittendum est principium aliquod corpore sublimius, & ab omni materia separatum, eaque virtute omnes illi effectus producantur.

§. VIII.

Rectissime igitur illa probari potest ex testimoniis illorum, qui ipsa experientia hoc edocti sunt, oculis suis, sensibusque externis reliquis, ejusmodi operationes percipientes, quæ non potuerunt non a substantiis a se distinctis, invisibilibus, movendi corpora aptis, facultate cognoscendi, seu intellectu & voluntate præditis, proficisci.

§. IX.

§. IX.

Hoc argumentum licet multis leve videatur, si tamen recte expendatur, est longe efficacissimum. Namque testimonium tot hominum, tanto temporis spatio, tot locorum intervallis, a se invicem remotorum, qui nullo modo omnes falli, multo minus ut alios fallerent, conspirare potuerunt, summum merito apud omnes, præjudiciorum vacuum, vero similitudinis obtinet gradum, imo quam maxime ad demonstrationem accedit, ut alibi ostendimus in observ. meis sacris, anno præterito editis. Esto ergo; deceptos alios, alios esse deceptores, esto falli oculos, aures, manus; omnesque sensus & internos & externos posse; nihil nobis nocet: non enim sequitur, falluntur sæpe homines, ergo semper: falluntur multi; ergo omnes.

§. X.

Sunt adhuc alia Argumenta, quæ ex lumine naturæ pro existentia Angelorum offerri solent; & quidem sequentia: 1) Essentia angelica non involvit repugnantiam; Ergo saltem divina potentia est possibilis, 2) ad perfectionem mundi requiruntur omnes species possibiles, unde si deessent Angeli, mundus perfectus non foret. 3) In essentia angelica significatur maxima Angelorum assimilatio ad Deum, & nulla creatura est, quæ plus participet de Attributis divinis. Unde si Deus alias res viles mundo intulit, credibile non est, eisdem non addidisse Angelos, tanquam nobilissimum sui speculum, 4) si Angeli non dicerentur conditi, magnus in scala rerum creaturæ ad mittendus foret hiatus, ita, ut ab hominibus statim ad Deum saltu haud exiguo esset progrediendum. 5) Plato, Aristoteles aliique gentiles, & præsertim Poetæ, Dæmonum & Intelligentiarum habuerunt notitiam, adeoque sic Angelos agnoverunt; at non nisi ex natura de his ipsis constare potuit. Hæc & similes fatinæ argumenta, quibus pro adstruenda demonstratione existentia Angelorum nulla vis nullumque robor in est, hinc inde e lectione Scholasticorum colligere facile est. Instituti nostri ratio quidem non patitur, ut ad singula hæc argumenta, in medium prolata, respondeamus; interim tamen unum alterumve subruere volumus; & quidem *primum*; Maximum hic deprehenditur collectionis vitium, cum neminem etiam inter minimos lateat, quod a posse ad esse non valeat consequentia. Non, quid Deus possit facere potentia sua absoluta, sed

quid efficaci voluntatis actu facere voluerit, probandum erat; aliud enim est, posse aliquid producere, aliud velle. Valer equidem; Deus voluit hoc producere, ergo existit; sed non contra: Deus potuit hoc producere; ergo produxit. Multa sane Deus potuisset producere, quæ tamen nunquam produxit, nec produceret. *secundum*. Negatur, perfectionem mundi ex speciebus possibilibus esse æstimandam; unde enim constare poterit homini de singulis speciebus possibilibus? Sane, si quidpiam roboris inesset huic argumento, tum simili veritate ostendere possemus, hominem aliquem actu existere, qui nobis sit perfectior, & qui omnis omnino corruptionis sit ex-pers, quoniam Deus talem producere potuisset; nisi Deum, quod nefas foret, impotentiam cuiusdam arguere velis. Nunc autem porro infero, si ejusmodi homo perfectior est speciebus possibilibus, sequitur, & ipsum ad perfectionem mundi, ut supponebatur antea, requiri; unde, isto homine negato, neganda quoque erit mundi perfectio; quod absurdum. *tertium*: Negamus consequentiam istius argumen-tationis; si Angeli proxime ad divinam naturam accedunt; ergo ne-cessario sunt creati, vel; si res viliores Deus mundo intulit, ergo & Angelos. Nam quæ quæso horum entium necessaria est depen-dentia; æque ac si dicerem: Deus produxit res naturales, quæ cor-ruptioni sunt obnoxia; Ergo & produxit quædam naturalia in cor-ruptibilia, loquor autem de sublunaribus. Et quid? detur hujusmodi substantia, quæ primum post Deum habeat locum; eritne ergo illa necessario Angelus? annon aliud quoddam subjectum esse potest, alioque nomine insigniendum: *quartum*. Esto hiatus in scala rerum creaturarum, si Angeli e medio tollantur; at unde hunc hiatus gen-tilis quispiam divinari potuisset, ideoque non sufficiebat, hiatus quendam hic ostendere, nisi simul demonstraretur, eundem ex lu-mine naturæ innotescere posse. Et sic quoque sese habet cum reliquis.

§. XI.

Alterum vero cognoscendi principium, *verbum nempe Dei*, sufficiens gignit argumentum, quo harum creaturarum existentiam demonstratam dare possumus. Si quidem *Scriptura sacra* non solum bonorum Angelorum & mentionem facit. Ebr. I. 4. 5. 6. 7. 13. 14. Pf. XCI. II. & operationes commemorat, 2. Sam. XXIV. 17. Dan.

III, 25, 28. Act. I, 10. X, 3. XII, 7. Pl. XXXIV, 8. Luc. XVI, 22. XXII, 43. Matth. XIII. 10. tam apparitiones, Genes. XIII. XIX. Ebr. XIII, 2. quam effectus varios; unde simul constat, esse illos substantias intelligentes; Verum etiam malorum, operationumque ab ipsis perpetratarum fidem facit. Joh. IIX, 44. Matth. IV. 1. 1. Reg. XXII, 21.

§. XII.

Falluntur itaque non tantum, sed impudentiam suam, & summan ad quidvis aut negandum aut impugnandum temeritatem produnt, qui & spirituum ejusmodi existentiam inficiantur, & cuncta, quæ de illis narrantur, aut sine discrimine, ausu iniquissimo rejiciunt, aut ad alias causas conatu profus irritato referunt. Exempla ejusmodi adferre, nostri instituti non patitur ratio, legi vero merentur, quæ Henr. Morus congeffit, in *Antidoto adversus atheismum*, Lib. III. Cap. VI. seqq. tom. II. opp. philosoph. p. 105. seqq. item *Josephus Glanvilinus in Sadducaismo triumphato*, anglicano idioma te scripto, sed anno 1701. in germanicum translato.

CAP. II.

De Nomine Ἀγγελος.

§. I.

Francisc. Redi, Academicus fursurosus, in *Dithyrambo de Bacho* in *Hetruria*, florente, anno 1685. in 1^{to} edito opinatur; ab *Anazaris*, qui Persis cursores vel missos regis denotant, Græcos forte vocem ἄγγελος ejusdem significationis formasse. Nam apud Persas ἄγγαροι dicebantur ἢ γραμματόφοροι καὶ ἄγγελοι τῷ βασιλεως, ut *Suidas* exponit, hoc est, qui litteras & mandata Regis perferebant. conf. *Brissonius de regno Persarum. Lib. I.* Quod ipsum vocabulum non modo cum derivatis veluti ἀγγαρέων & ἀγγαρείω translatum est postea in linguam græcam, sed & ex eo, vel ex Hebræo אַרְאָל, quod in libris Chronicorum, aliisque sub Monarchia demum Medo-Persica scriptis, occurrit, & epistolam significat, formatam a Græcis olim arbitror ἄγγελος & ἀγγίλλω, littera R in L mutata, ut sæpe fit;

cujusmodi mutationis exempla multa adduxit *Vossius in litterarum permutatione*, & *Perizonius ad Eliani Var. Histor. II. 33. extr.* Et puto hanc vocis derivationem esse tanto certiorē, quod apud *Hesychium* quoque legitur ἄγγερος, & quidem expositum παρ ἄγγελος, quodque *Xenophon* & *Suidas* in exponendo τῶν ἀγγάρων, Perfectorum munere vocabulo quoque ἀγγέλων utuntur.

§. II.

Alii vero hujus vocis originem derivant ab ἀγγέλω, annuncio. Sic *Chrysostomus, Homil. 3. de incomprehensibili, Tom. I. p. 407.* ἄγγελος λέγεται ἐπειδὴν τὰ τῶν Θεῶν τοῖς ἀνθρώποις ἀγγέλει, quia, quia Dei sunt, hominibus annunciat, *Iustinus Martyr, in Dialogo cum Tryphone*: τὸ ἀγγέλλειν τοῖς ἀνθρώποις ὡς ἀπὸ βελεταί, αὐτοῖς ἀγγείλαι ὁ τῶν ὄλων ποιητής. *Angelus dicitur, quia rerum omnium creatorem annunciat, quacunque hominibus annunciare vult.* Conf. meas observat. *Philel. pag. 100.* quæ 2da vice jam excusæ sunt.

§. III.

Denominatio vero hæc ab illorum officio desumpta est, & tribuitur nonnunquam & filio Dei, & hominibus imprimis a Deo missis, atque sacris maxime Doctoribus, & ipsis interdum rebus inanimatis; his autem spiritibus omnium frequentissime ob ministerium, quod Deo, mittenti ipsos, præstant.

CAPUT III.

De Tempore Creationis Angelorum.

EXISTENTIA Angelorum jam demonstrata, compertum quoque habemus, illos non esse creatores, ut *Saturnilianus* apud *Epiphanium hæret. XXIII.* volunt, sed creatos. Nam, quidquid præter Deum existit, suam agnoscit causam, a qua omnia dependent ac reguntur; unde etiam angeli originem Enti increato, Deo nempe benignissimo, qui cælum & terram, quæ in illis sunt, creavit ex Pl. CXLVI, s. 6.

Act.

ACT. IV, 24. debent, Deinde vero, Dei creaturis. Pl. CIV, 4. Col. I, 16. annumeratos legimus.

§. II.

Thesi igitur, *Angelos creatos esse*, affirmata, per se clarum est, illos in tempore, & non ab aeterno, productos esse. Ordine autem ut id, quod exorsus sum, persequar, meum esse scio, non modo varias variorum enumerare sententias ac censere, sed & quantum vires meae qualescunque permittunt, meam sententiam perspicue ac modeste exponere.

§ III.

Non nulli dicunt, sed perperam, eos ante mundum, licet non ab aeterno, fuisse creatos. Quam sententiam inter alios quoque defendit *Thomas Hoyer*, cujus verba propria huc adponere lubet, quo sententia ejus eo magis illucescat, illa sic sonant: De Angelo, cum creatione strictè inquirere, est supra captum nostrum. Nam, quamvis Angeli sint creaturae, adeoque non antiquitate aequales, cum suo creatore, nullum tamen est dubium, quin extiterint in finito tempore ante creationem mundi, & sint tantae antiquitatis, quae sit ultra mentis humanae vires conceptionemque considerare, aut perpendere; quod pie credendum est, cum non sit pium aut decorum, imaginari Deum, ullo unquam tempore fuisse mini, stris destitutum, sed semper habuisse Angelos Ministros, qui ad nutum ipsius divinum jussa praestare constanter omni tempore parati fuerunt. Nec in Scriptura Sacra dicitur, quando ceciderint Angeli mali, & gravissimo illo lapsu facti fuerint diaboli, quod, tamen necessarium fuerit ante creationem mundi, adeoque sit supra humanam tempestatem, illud tempus investigare, cum divina revelatio in hac parte siluerit, at forte tam horribilis eorum lapsus & Apostasia non fuit multo ante conditum mundum, quia, donec crearetur homo, non erat pro diabolo opus in mundo agendum: nam omnia semper divino ductu & praevisione ex eodem filo pendebant. Sed Diabolum certe ante Adamum extitisse constat, nam quam primum creatus fuit Adam, eodem die Diabolus sub nomine & specie serpentis statim in promptu adfuit, ut possit illum tentationibus suis invadere, eumque ab illo beatissimo felicitatis gradu ejicere, atque ex primæ innocentiae statu, elici.

eliminare. „ Patres quoque nonnulli primitivæ Ecclesiæ eandem sententiam tuentur, ut videre est ex Olympodoro, *Catena in Iobum* pag. § 42. ἀπὸ τῆς δὴλον, ὅτι πρῶτοι οἱ ἀγγελοὶ τῷ κόσμῳ γεγέννηται. *Hinc patet, Angelos mundo priores fuisse.* Gregorio Nazianzeno, *orat. XXXIIX. pag. 617.* prius creatas fuisse τὰς ἀγγελικὰς δυνάμεις καὶ ἑρμῆς, *angelicas & caelestes virtutes*, postea vero δεύτερον κόσμον ὑλικὸν καὶ ὁρατὸν, alterum mundum materia constantem & aspectabilem, *Basilio M. Homil. I. in Hexaem. Tom. I. p. 7. Casario, quest. LXXI. pag. 142. Damasceno Lib. II. Orithod. fidei. Cap. III. pag. 71.* Ex latinis quoque Patribus eandem secuti sunt sententiam *Ambrosius, Lib. I. in Hexaemeron, Cap. V. & Prefat. in Psalm. Hilarius Lib. XII. de Trinitate; & in Libro contra Auxentium Arianum; Hieronymus Epist. ad Titum. Cap. II & alii.* Scriptura autem sacra hanc illorum amplecti sententiam nos prohibet; si in illa quidem, *Omne autem mundanum æternum esse*, *Psalm. XC.* legimus; Deum, nihil nisi æternam fuisse æternitatem, uti recte in *Pircke R. Elieser, Cap. III. pag. 3.* edit. Vorstianæ extat: *Antequam mundus erat creatus, tantum erat Sanctus benedictus & nomen ejus.* Itaque angelos si æternos diceremus, ipsi constituerentur Deus.

§. IV.

Alii, Angelos ante mundum hunc adaspectabilem, & quidem ab æterno creatos fuisse, autumant. Inter quos Origines, quireste *Leontio de Sectis, Ab. X. p. 548.* docuit; *Omnes mentes, Demones, Angelos & animas ante secula fuisse.* Hanc sententiam apud *Originem* reperias, *Hom. I. in Genesim. Homil. IV. in Iesaiam; Tractatu IX. in Matth. & Libro περὶ ἀρχῶν.* Item *Aristoteles & alii.* Sed creaturæ cuiuspiam æternitatem absque manifesta contradictione adscribere nequimus; cum *creare significet, substantiam demum producere.* Ergo Angeli aliquando non fuerunt, adeoque non sunt æterni. Probatum etiam hoc inde, quia Domicilium tam Angelorum, quam electorum hominum paratum est ἀπὸ κατὰ θεὸν λόγου. *Matth. XXV, 34.*

§. V.

Post hæc sequitur sententiam, qui, post mundum creatum, has

hasmet creaturas esse conditas, pugnant. Nam, hoc propugnantes, sacras convellunt litteras, quæ nobis confirmant, Deum post totius terrarum orbis creationem ab omni opere 7^{imo} die quievisse. Gen. II. 2. Sunt igitur Angeli intra Hæmæron Mosaicum facti, ut satis aperte Moyses, Exod. XX, II. Deum intra sex dierum spatium cæli & terram cum toto exercitu, Geu. II, 1. coll. Nehem. IV, 6. Luc. II, 13. fecisse, scribit. §. VI.

De die autem, quo Angeli intra hoc sextitudinum creati sunt, variant sententiæ & valde diversa sunt; quia Moyses, visibilia creationis opera tantummodo conceptis describentem verbis, ut exinde τὰ τῆ Θεοῦ ἀποκρυφὰ cognosceremus, silere, & Scriptura sacra, κατὰ ἰν- τὸν non contradicente, quamlibet diem nominari posse, putant. Hinc nonnulli putant, Angelos secundo & tertio die esse creatos, uti patet ex *Hutteri Loc. theol. de Creatione, quest. V. pag. 202.* Ex Judæis quoque nonnulli hanc thesin affirmant, sic *R. Elieser de Angelis* hocce adfirmat in *Pirke Elieser, Cap. IV. p. 6.* his verbis: *Angeli creati sunt secundo die: Postquam hi emissi sunt, verbo ejus fiunt venti, cum autem serviunt coram ipso, fiunt ignis, prout dicitur: qui facit Angelos suos ventos, & ministros suos ignem flammantem.* Pro quarto die pugnant *Jac. Martini in Disp. Theol. Scholaß. in primum Augustana Confess. Articulum, Part. II, Disp. XIV, p. 313.* qui, illos cum sideribus creatos esse, cum aliis credit. Pro quinto die Rabbini quidam militant, & cum avibus creatos esse, somniant. conf. *Kilian. Rudrauffius, Syllog. Controvers. Theol. p. 80. Joh. a Lent Theol. Jud. moderna, Cap. VI. p. 200. seqq. Cap. XIX. pag. 241.* Sunt denique, qui sexto die, & post hominem quidem conditos esse, arbitrantur. Cum his consentiunt illi, invalida argumentatione adstructi, quos *Himmeli in Syntagm. Disp. Theol. Disp. VI. p. 50. & Bechmannus in Compend. Hutteri Commentar. L. de Angelis nominat. Rudrauffius* quoque in hanc sententiam quosdam propensos, in *Syllog. controvers. p. 80, nominatim, non satis accurate tamen, adducit Joh. Scarpium Sæoto Britannum, in cursu theol. & alios.* Allegat quoque *Rupertum, Abbatem Tuitiensem*, sed contrarium illum asserere, patet ex libris suis de S. S. Trinitatis Operibus. Nam cum tota scholasticorum cohorte, hic *Rupertus angelici opificii primum statuit diem*

diem, in Genes. Commentar. L. I. fol. III. b. edit. primæ Colon. 1528
melius, inquit, *magni & nominatissime Patres intellexerunt,*
naturam angelicam lucis nomine significatam. Eorum sensum
rationabilem magis adprobamus & sequimur; Angelorum na-
turam recte lucem esse appellatam, &c. & in Libr. Pf. Comment.
 Libr. IV. fol. CCCXIX. Pl. CIII. Citar' quoque *Gennadium Massili-*
ensem illum A. C. 50. Presbyterum; sed evolvendo illum aliter sen-
 tentientem invenimus, *libello de fide seu dogm. ecclesiast. in Tom III.*
Opp. August. p. 147. ed. Basil. relatō, ubi disertē Cap. X. scribit, &
cum adhuc tenebræ ipsam aquam occultarent, & aqua terram ab-
sconderet, facti sunt angeli & omnes cœlestes virtutes, ut non esset
otiosa Dei bonitas, sed haberet, in quibus permulta ante spatia boni-
statem suam ostendēret: & ita hic visibilis mundus ex materia, quæ
a Deo facta fuerat, factus est & ornatus.

§ VII.

Omnia, quæ intra Ecclesiam de Angelorum creatione invenimus, ju-
 dicia hic adponere, vel inutile vel difficile putamus; cum nec saniores
 exiude rediremus, nec etiam omnia enarrare possemus. Variant enim ubi
 que Ecclesiæ Doctorum hac de re sententiæ, & quot capita, tot ferme
 habemus opiniones. Immo, si etiam singulorum consideramus opi-
 niones, multiformes & sæpius valde mancas illas reperimus; Cum
 alii, præjudiciis infecti, vel pristinæ ecclesiæ Doctoribus accedunt, vel
 aliis suffragium ferunt, vel tã ex æqu' amant; conf. cum aliis Systema-
 ticis, *Gerhardum*, summum Virum, *Loc. de Creat. & Angelis. §. 40.*
 Cum igitur difficillimum sit, tot hominum cogitare ac explorare ani-
 mos, ac istas ficulneis sæpe argumentis ornatas opiniones vel excusare
 omnes, vel Scripturæ sacræ repugnantes tolerare; *pōtior mihi videtur*
sententia, quæ ait; *Angelos esse a Deo primo die creatos.* Sententia
 verò nostra ex parte non est nova; quod enim ad diem creationis An-
 gelicæ primum attinet, nobiscum hac in re consentiunt adhuc plures
 alii, ut *Leonb. Hutterus Loc. theol. de creatione, Quæst. V. pag. 202. Job.*
Francisc. Rudderus, in instit. dogm. Libr. 2. Cap. 2. p. 321. & Heben-
streit in System. Part 1, Loc. de Angelis, p. 729. Interim parum nostra
 interest, sive nova sit, sive antiqua sententia. Nim ex novitate vel
 antiquitate propositionem probabilem, cujus contrarium quoque non
 absurdum ac impossibile, ex præconcepis forte opinionibus censere
 ob-

oblonum est. Probamus autem nostram sententiam exinde, quia
 1) eodem etiam die Caelum Empyreum est conditum. 2) Quia ho-
 mines ab Angelis antea existentibus seducti fuerunt. 3) Quia cum
 fundaretur terra, Angeli Deo jam cecinisse laudes dicuntur. Ita enim
 locus explicatur, Job. XXXIX, 7. *Quis jecit lapidem an-
 gularum terra, cum canerent simul stelle matutinae, & cui
 vociferati sunt omnes filii Dei?* Vocantur enim ideo altra ma-
 tutina, quia matutino quasi mundi tempore, hoc est, statim ini-
 tio rerum creaturarum a Deo conditi sunt. 4) Patet ex ratione or-
 dinis, cujus lege naturali a simplicibus fit progressus ad compo-
 sita. Jam cum homo, tanquam substantia maxime composita
 productus sit ultimo loco, verisimile est, Angelos, substantias sim-
 plicissimas creatos esse omnium primos.

§. IX.

Quæritur vero, cur Moses nullam creationis Angelorum men-
 tionem injecerit? Sunt nonnulli, qui putant, Mosen scripsisse Ju-
 dæis ad idololatriam pronis. Sed hæc ratio videtur esse nulla. Mo-
 ses enim eodem periculo descripsit creationem cæli, stellarum, ma-
 ris, bestiarum, quæ & ipsa Judæos ad idololatriam invitarunt, A-
 llii igitur existimant, creationem Angelorum ideo a Mose silentio
 fuisse pressam, ne, si Angelorum in principio fieret mentio, Deus
 opera eorum mundum condidisse putaretur. Sed thesi hæc, Ange-
 los esse creaturas firmiter demonstrata, una cum cælo conditas,
 sponte ruit, illos esse creatores Tandem & alii sunt, qui obver-
 tun, ruditati Judæorum se divinum, originum Scriptorem accom-
 modare voluisse. Sed hoc etiam perperam est, nam 1) Scriptor
 divinus non tantum Judæis sed universæ Ecclesiæ scripsit. 2) Lon-
 ge sublimiora mysteria Populo hebræo fuisse revelata novimus;
 quare igitur non & hoc? Nobis igitur hoc arridet, quod Moses
 nullam tradere voluerit ἀγγελουργίαν, enarratione ac descriptio-
 ne creaturarum visibilium & rerum in oculos & sensus incurrenti-
 um contentus.

CAP. IV.

De Natura seu Essentia Angelorum.

C 2

§. I.

§. I.

AD naturam horum spirituum quod attinet, fatendum est, eam a rationi nequaquam perspectam esse. De ea enim nihil nobis constat, nisi quod ex testimoniis illorum, qui operationes horum spirituum perceperunt, videatur colligi posse. Supposita vero creatæ substantiæ divisione in cogitantem & extensam, non quidem plane impossibile erit, quid sit spiritus, & quo pacto a ceteris rebus distinguatur; spiritus enim vox hic propriissime est accipienda, pro re scilicet immateriali, sive substantia facultate percipiendi & volendi prædita. Essentia igitur spiritus in eo consistit, ut sit substantia intelligens, seu ens simplex, vi distincte repræsentandi prædita, unde non solum per se subsistit, & indivisibilis est, atque per consequens neque corporea, neque localiter alicubi præsens, verum etiam intellectu & voluntate libera gaudet.

§. II.

Substantia ergo Angelica dicitur esse omnino etiam independens a corpore & ab omni materiæ ad mixtionem libera ex eo precise, quod sit cogitans. Unde etiam sequitur, Angelos esse immortales; cum enim mors sive destructio rebus corporeis tantum competere dicatur propter partium, ex quibus constant, dissolutionem manifestum est, Angelos, quorum essentia reponitur in cogitatione, & qui consequenter omnes partes extensione distinctas excludunt, non posse mori, sive dissolvi.

§. III.

Fuerunt quidem, inter quos & Chaldæi veteres, & Platonici, pariter ac Pythagoræi, qui omnibus spiritibus, excepto Deo Deorum, ut dicunt, corpus tribuisse videntur, sed subtilius & tenuius multo, quam nostrum est, ea ratione, quod corpus tenuissimum mentibus istis per se incorporeis semper adesset, quemadmodum & mentes humanas hoc crasso corpore destitutas, subtiliori tamen, *δχημα* vocant, seu vehiculum, semper indutas esse docebant. Chaldæi nimirum, spiritus geniosque ex luce promanasse, & tenebris, crediderunt; itaque Manichæismo, qui duo rerum

rerum principia diversa invehebat, quasi viam commonstrarunt, vid. celeberr. Wolfius in Manichæismo ante Manichæos. Varias deinde ex luce & tenebris promanantium spirituum species somniantur, ut videre licet in *Gentskenii pneumatologia*. §. 3. seq. Plato vero, qui hac in doctrina palmam tamen præ aliis præripit, trium generum spiritus ex magna mundi anima emanantes statuit. Nihil igitur sanum, nihil sacris litteris congruum in horum sententiisprehendimus, meritoque eas carpimus. Existentiam Angelorum quidem gentes hæ probabiliter ex effectis cognoverunt, illos tamen, quales essent, vel in quorum numerum reciperent, ignorarunt; ideoque occasionem, idololatriæ operam navandi arripuerunt, & malos uti bonos venerati, ac divino cultu contra præcepta Dei prosequuti sunt, ut *Vossius de Theologia Gentili*, Cap. *II*X, *IX*. pluribus ostendit. *conf. Clericus Philos. Opp. in orientalis philosophia indice.*

§. IV.

Nihilominus tamen hanc sententiam, quæ præcipue traditione niti videtur, multi ex veteribus Scriptoribus christianis securi sunt, qui Angelos corporeos statuerunt; de quibus vide *Petavium de Theol. Dogmat. Tom. III. Libr. I. de Angelis, cap. II.* *Calovium in Systemat. Theol. Tom. IV. Heidegger in Corpore Theologia Christiana, Loc. II*X, n. 6. *Tom. I.* Ex recentioribus quoque nonnulli hunc errorem vetustate tritum renovare student. Vestigia enim illorum premere videtur *Petrus Poiret*, qui in *Cogitation. Rationalib. L. I. C. VII.* infra in notis hæc scribit: *Hac dicuntur juxta communem opinionem videlicet, quod ad Angelorum naturam mens sola, nullum vero corpus pertineat. Quanquam sint, qui naturam angelicam mente & corpore constare ajunt. Quæ sententia equidem a sanctis scripturis, adeoque ab ipsa veritate non parum videtur confirmari; atque si vera esset, tunc moveretur Angelus ratione essentia sui corporis, non autem ratione essentia sua mentis. Item anno 1706. Londini prodiit The Just scrutiny or a serious enquiry into the modern notions of the soul &c. In quo libro Auctor W. C. M. D., qui est Dn. William Covvard, Medicus Londinensis, omnem spiritum creatum statuit materialem, atque sic angelis quoque corpora subtiliora attribuit. p. 103.*

C 3

§ V.

§. V.

Pro hac sententia affirmanda quidem obijcitur, quod, si Angeli essent incorporei, nihil esset, in quo differrent a Deo, essent enim substantiæ simplices & ab omni compositione alieni, sicut Deus; Ergo non est dicendum, Angelos esse mere spirituales, sed saltem partim corporeos, & partim intelligentes. Sed ad salvandam differentiam, quæ debet Deum inter & angelos interesse, non est opus, ut Angeli dicantur esse corporei: licet enim sint spirituales, non tamen omnino sint simplices, ea simplicitate, quæ Deo competit; siquidem componuntur ex actu & potentia, ex natura & supposito, & ex multis aliis modis, quæ eorum naturæ competere dici possunt, quique in Deo nullatenus reperiuntur, ut ex eo maxime patet, quod Deus sit actus purus, omnem omnino potentialitatem excludens.

§. VI.

Ceterum, cum pauca admodum sint, quæ ex ratione & experientia de spiritibus nobis innotescant, frequentissima contra in Scriptura sacra eorum injiciatur mentio, non abs re faciunt, qui hanc, cum de iis sermo est, in subsidium vocant. Ex Scriptura igitur sacra constat, spiritus istos a mentibus hominis esse distinctos, in peritio tamen divino subjectos; eosdem corporibus interdum sub humano specie indutos apparuisse, quæ tamen corpora iterum subito evanuerint; & quæ reliqua sunt his similia. Status vero controversiæ sic est formandus, quod sermo sit de Angelis, invisibilibus Dei creaturis, de essentia corporea in famoso suo significato, & prout essentia immateriali opponuntur, & de Angelis non in assumtis corporibus, sed in essentia sua consideratis. Quibus præsuppositis, dicimus: Angeli non sunt essentia corporea; Quod probatur 1) e paginis sacris, quæ Angelos vocant spiritus v. gr. Pl. CIV. 4. 1. Reg. XXX. 21. Matth. IIX. 16. Ebr. I. 14. 2) Quia Angeli comprehenduntur nomine τῶν ἀοράτων, Col. I. 16. Ergo sunt spirituales, quia invisibilitas est attributum spirituum immaterialium. 3) Quia Angeli habentur pro intelligentiis & mentibus. De quo jam supra, Sed harum natura partium integrantium compositionem non admittit. Nam partes ejusmodi vel singulæ æqualiter intellectivæ erunt,

erant, vel dependenter ab aliis. *Si prius* virtus intellectiva indivisibilis erit, nec ad eam extensio partium determinata essentialiter pertinebit; cum tota adæquate in minori salvetur. Omnis enim res, cujusquidlibet adæquate totum esse potest, simplex indivisibilis, adeoque incorporea est, quia alias partes quælibet essentialiter superficiz forent. *Si posterius*, partes per se non intellectiva component totum intellectivum, quod æque absurdum est, ac si dicatur, totum extensum ex partibus non extensis, calidum ex non calidis, componi. 4) Quia in uno homine legio dæmonum existit, Mare. V, 9. quod citra dimensionum penetrationem, si angeli corporei essent, fieri non potuit.

§. VII.

Quæritur autem; utrum angeli necessario specie ab invicem differant; communiter negative responderetur contra Thomistas, qui volunt distinctionem numericam repeti tantum a materia, quia scilicet hæc distinctio numerica vocatur a Philosophis distinctio materialis. Unde concludunt, nullam posse esse distinctionem numericam, sed tantum specificam inter duos Angelos, utpote omnis omnino materiae expertes. Verum contra esse dicunt, tum quia Thomistarum ratio nulla est, cur velint, distinctionem numericam posse tantum repeti ex materia, non autem ex quavis alia substantia; tum quia non est probabile, duas animas rationales fieri animas diversæ speciei eo ipso, quo separantur a corporibus, a quibus Thomistæ volunt, eas prius desumisse suam distinctionem numericam; tum denique, quia impossibile est, ut unica spiritualis substantia, sive unicus Angelus, unicam speciem constituat: siquidem species est aliquid prædicabile de multis inferioribus, ut consentiunt omnes Logici, quod tamen non conveniret prædictæ speciei, quæ unico tamen constaret Angelo; quæque consequenter de isto solo Angelo, non vero de multis, prædicare posset. Ceterum differunt Angeli a se invicem non solum gradibus, facultatum, habituumque, verum etiam dignitate & subordinatione, mirifica tamen similitudine relationum mutuarum inter se conjunguntur.

CAP.

CAP. V.

De Cognitione & Locutione Angelorum.

§. I.

EX præcedentibus liquet, dari spiritus, nec eos corpora nostris similia habere, & licet in se omnis materiæ sint expertes, possent tamen eos corpora assumere. Ex eo etiam, quod spiritus isti sermones cum hominibus conferuere, & jussu Numinis variæ obierunt ministeria, recte colligitur, illos in eo mentibus humanis similes esse, quod intellectu pariter ac voluntate præditi sint.

§. II.

Et intellectus quidem vel ex sermonibus, quos habuerunt evidenter colligitur. An vero eodem se habeat modo, quo intellectus humanus, definiri nequit, & quicquid hac de re vulgo dicitur, meræ conjecturæ sunt, eæque a modum incertæ, quibus immorandum non est. Intellectus autem seu cognitio, cum sit voluntatis gratia, quin hæc etiam Angelis competat, dubitari nequit. Id vero etiam testantur affectus, quos Scriptura sacra illis attribuit, sed mentales ut intelligamus par est, siquidem supponamus, eos materiæ omnis expertes esse.

§. III.

Objectum cognitionis Angelorum definiri non potest, cum eam longe supra nos esse supponatur prædictæ intelligentiæ, sive Angeli, certe cognitionis eorum terminos exacte notare, omnino videtur impossibile. Interim tamen dicitur communiter, Angelos cognoscere, 1) cogitationes suas, quarum scilicet immediate sibi conscii sunt, 2) Et seipso cognoscere, quia & existentiam suam ex actuali cogitatione sua, & varias imperfectiones, aut varias perfectiones suas, sive varios status suos ex diversis cogitationum suarum modis non possunt non detegere. 3) Deum ipsum ex ejusdem impressione in sua mente clarissime norunt. 4) Res materiales omnes eos cognoscere, est probabile, quia res inferiores continentur

tur in superioribus perfectiori quodammodo, quam in se ipsis; Ergo in Angelis res materiales continentur, non quidem formaliter, sed eminenter; ergo cum angeli seipsos perfecte cognoscant, res etiam materiales in se ipsis recte detegunt. Tandem Angeli absolute & certissime dicuntur cognoscere futura necessaria, quia noverunt apprime omnem mundi dispositionem, motus cœlorum, localesque corporum motus, ex quibus dependent necessarii effectus, qui in universa natura producuntur. Quod autem spectat ad futura libera & contingentia, & internas hominum aliorumque angelorum cogitationes, querere etiam solent, utrum Angeli ea cognoscant? Merito hoc de illis negatur, utpote quod divino intellectui tantummodo est perspectum; neque etiam dubio huic satisfieri potest propter rationes supra allatas, aut ejus solutio peti debet ex theologia.

§. IV.

Objici quidem potest contra rationem, qua probatum est, Angelis notas esse res omnes materiales. Si res omnes superioris ordinis eminenter ea continerent, quæ sunt ordinis inferioris, eaque consequenter in se ipsis cognoscerent, certe intellectus humanus, hac ex natura res omnes materiales cognitatas habere deberet; sed consequens est falsum; Ergo & antecedens. Sed distinguo sequentiam majoris. Intellectus humanus res omnes materiales cognosceret, si nullis corporeis sensibus, a quibus ipsius cogitationes dependent, alligaretur; concedo consequentiam majoris. Quamdiu ipsis alligatur, nego. Et distincta similiter min. nego consequent. Igitur, licet tam intellectus humanus, quam angelicus, longe superioris ordinis sint, quam res quævis corporeæ, easque ideo eminenter in se contineant, solus tamen intellectus angelicus, cujus actiones, cogitationesque nulla ex dispositione ullius corporis, cui alligetur, dependent; ideo necessarium est, ut quidquid vi naturæ suæ cognoscere potest, de facto semper cognoscat: quæ tamen de intellectu humano dici non possunt, cujus & virtus, & actio sæpissime impeditur a sensibus, organisque corporeis, quibus Deo volente ita fuit alligatus, ut nihil saltem materiale nisi dependenter ab ipsis possit cognoscere.

D

§. V.

§ V.

Secundo objici potest; intellectus omnino abstractus a materia non videtur posse versari circa res materiales & corporeas; Atqui intellectus Angelicus est abstractus omnino a materia; Ergo non potest versari circa res materiales & corporeas. Sed nego majorem; immo vero nihil nisi spirituale, & a materia secundum naturam suam penitus abstractum potest cognoscere res materiales. Itemque, quia quo purior est intellectus, & a materia penitus abstractus, eo melius res inferiores, sive corporeas, cognoscit; siquidem eo superior est rebus materialibus, easque modo longe eminentiori continet, ut patet ex intellectu divino.

§ VI.

Utrum vero Angeli objecta per species impressas, & ab objectis emissas, quas vulgo intentionales vocant, merito ab eruditis negatur, quia 1) species impressæ ad id sunt inutiles, & sunt etiam impossibiles. 2) Quia Angelis sufficit facultas exprimendi in se ipsis ideas rerum, quas cogitatione volunt attingere. Si autem queritur; utrum angeli semper actu cogitent, tunc illud est affirmandum; quia actualis cognitio supponitur de essentia substantiæ spiritualis, cui non minus convenit quam actualis extensio materiæ, sive substantiæ extensæ, competit. Sed hæc ratio fuit est tradita in *meis observationibus sacris philol. p. 128. seq.*

§ VII.

Queritur autem; utrum Angeli discurrant circa res naturales, quod negandum. Ratio est, quia discursus continet connexionem plurium actuum, quibus ex una re nota in aliam minus notam proceditur. Atqui hoc non reperitur in Angelis, qui scilicet supponuntur, res omnes naturales & necessarias æque evidenter cognoscere, siquidem non alias ex aliis, sed omnes in seipsis detegunt; ergo non indigent discursu; quo ideo rantum utuntur homines, quia, cum objecta omnia nec simul, nec æque evidenter possint attingere, coguntur paulatim cogitationes suas promovere, & ex rerum aliquarum noticia in aliarum cognitionem progredi. Utrum autem Angeli circa res supernaturales,

les, & circa intima humanorum cordium secreta discurrant, certe hoc non potest facile definiri.

§. IIX.

Quæritur: quomodo Angeli sibi invicem loquantur? Hoc certo determinari non potest, verum satis nobis illorum probatur sententia, qui docent, Angelos sibi invicem suas cogitationes non aliter aperire, quam dirigendo voluntatem suam, idque intendendo, ut huic vel illi Angelo fiant manifestæ. Quemadmodum enim ex occasione quorundam duntaxat motuum corporalium, qui a loquentibus hominibus libere in sensibus & cerebro audientium imprimuntur, Deus secundum æternas, ordinariasque naturæ leges in eorundem audientium mente producit eas rerum ideas, quas, vel ipsemet, vel ipsi homines prædictis motibus libere conjunxerunt; ita potuit ab æterno leges aliquas constituere, quibus vellet, cogitationum Angelicarum ideas oriri in mentibus aliorum Angelorum ex sola occasione intentionis, sive motus voluntatis eorum Angelorum, qui conceptus suos aliis manifestos fieri optarent.

§. IX.

Pertinet huc etiam, quod ad nomina Angelorum attinet; de quibus nonnulli putant, ea, quæ in Scriptura sacra extant, non fuisse a Deo imposita, cum is vix vocaret Angelos ullis nominibus, sed illa prædata aliqua occasione sponte fuisse ab ipsis Angelis assumpta, qui præsumerentur talia nomina suæ naturæ suove officio adoptasse; ut, ego sum Gabriel, &c. Hinc sibi persuadent, hæc nomina, cum cœlites, prout nobis videretur, nec inter se, nec cum Deo uterentur loquela, aut sermone, nostri causa fuisse assumpta, condescendendo ad captum nostrum, cum nobis nomina distinctionis gratia essent necessaria, illi autem inter conversandi & intelligendi rationem prorsus a nostra alienam & diversam, nobisque inexplicabilem haberent. Dicunt igitur, in Angelis tam nominum quam externarum formarum assumptionem esse tantum accommodationem ad captum humanum, cum in cœlo nec nomina nec externas formas haberent, nec inter Deum & illos unquam esse colloquium & sermocinationem assa voce & disertis verbis

CAP. V. DE LOQUELA

In ulla lingua, sed tantam communicationem per intuitum, seu mentalem quandam intuitionem & intelligentiam nobis incognitam. Eam ob causam esse futilem questionem: quænam lingua futura sit in cælo, an hebraica, vel alia? cum ibi nulla lingua futura sit. Cum igitur in cælo nullæ essent voces, nullique soni, sed altum silentium & perpetua tranquillitas, hinc illæ laudes, celebrationes & cantiones, quæ in Scriptura sacra memorarentur, non factas nec faciendas esse audibiliter & vocaliter, sed intelligibiliter, intencionaliter & mentaliter per exertionem divinam & intelligentiam plus quam humanam, qua creaturæ suam creatorem intuerentur & agnoscerent, & intelligerent, & vicissim ab eo cognoscerentur, & intelligerent, & vicissim ab eo cognoscerentur, & intelligerentur. Et hac ratione putant laudes Dei a nostra parte fore cordialiter tantum, & ex abundantia gaudii in illo essendo beatificæ visionis fruitione felices. Deum enim aliorum omnium mentes & cogitationes a longinquo nosse absque loquelæ sono, cum, habere opus sermone, argueret, quod absit, imperfectionem in Deo. Deum quidem per se aut Angelos dignatum fuisse, vocem assumere, & audibiliter locutum fuisse gratia hominum, quia illi alia & altiora, quam quæ audiverint, capere non possent, & quæ non viderint, mente non concipere & comprehendere, nec adæquatam de eis notionem habere possent. Et, porro dicunt, cum mentis oculi aperti fuerint, & anima cælesti instinctu formata, tum omnia nobis fore patentia, atque oculis nostris conspicua, & spiritus, jam invisibiles, tunc sponte naturâ nobis fore visibiles. Conceduat autem, Christum & homines, qui jam in cælo existerent, habere organa sermonis, atque procul dubio naturaliter loqui posse; sed eis non opus esse loquela, quia cognoscunt, prout cognoscuntur. Liberum cuique relinquitur iudicium, si quis cum his non consentit. Difficile est, de Deo satis digne loqui; Ipse pro infinita sua misericordia imbecillitatem nostram subleuet, & conatibus nostris faueat, ut semper id, quod est Θεοπεταῖς, de Deo loquamur ἀϊθροπικῶς.

CAPUT VI.

De Ordine ac Numero Angelorum.

§. I.

§. I.

Certum Angelorum, tum bonorum, tum malorum, esse ordinem, ejusque adeo intuitu discrimen aliquod inter eos intercedere, Scriptura Sacra aperte docet; ex ratione enim illud demonstrari nequit. Ex ordo quidem hic patet 1) ex diversis spirituum celestium denominationibus, Eph. I, 21. ubi enumerantur *Principatus, Potestates, Virtutes, & Dominationes*, Col. I, 16. memorantur *Throni, Dominationes, Principatus & Potestates*. 1. Thess. IV. 16. & Judæ 7. 9. mentio fit cujusdam *Archangeli*, conf. 1. Petr. III, 22. Gen. III, 24. Jesh. VI, 3. Diversa vero nomina discrimen Angelorum inferunt. 2) Comprobat illum universi civitatisque divinæ perfectio. 3) Sammus in variis per reliquas res a Deo adhibitus ordo illum confirmat. 4) Ex regula generali 1. Cor. XIV, 40. qua Deus in Ecclesia militante omnia vult fieri decore & secundum ordinem. Nullum igitur est dubium, quin certus ordo sit in Ecclesia triumphante inter Angelos bonos, istaque tanto perfectior, quanto splendidior est Ecclesia triumphans militante. 5) De malis Angelis hoc quoque constat ex Luc. XI, 15. ubi Beelzebub Princeps dæmoniorum vocatur, & Matth. XXV, 41. ubi Diaboli & Angelorum ejus mentio fit.

§. II.

Differunt vero Angeli non solum gradibus facultatum habituumque, verum etiam dignitate & subordinatione a se invicem. Donis porro, tum naturalibus, tum moralibus, quosdam præstare aliis, a vero non abhorret; specie autem & essentia eos differre, sine fundamento asseritur, & ex Scriptura Sacra non probari potest. Diversa namque nomina, quæ illis tribuuntur, ordinis solum a Deo, ut credere par est, ipso constituti, forte simul etiam donorum naturalium & moralium diversitatem indicat; speciei aliquod discrimen inde colligere non licet. Donorum autem diversitas, cur iis tribui nequeat, non video; quin imo recte tribui, vel hominum exemplo condocemur.

§. III.

Num vero decem Angelorum bonorum classes vel chori sint, quod Judæi contendunt, vel novem, quod *Dionysius in Hierarchia ca-*

lesti cap. V. pag. 28. tradit, ubi & novem illos ordines, iterum in tres Hierarchias distinguit, ita ut in suprema sint; Seraphim, Cherubim & Throni; in Media: Dominationes, Virtutes & Potestates; in Infima: Principatus, Archangeli & Angeli, hoc plane incertum atque indignum est, cui inquirendo longius immoremur. *conf. Joh. Franc. Budeus in Institution. Theol. Dogmat. Lib. 2. Cap. 2. § 29, p. 409.*

§. IV.

Scriptura testatur etiam, ingentem Angelorum esse numerum atque insignem, nullibi tamen ejus rei quidquam determinat. Sic Dan. VII; 10. dicitur: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia adsistebant ei.* Et paritione Apoc. V, 11. *Et erat numerus eorum μοιράδες μοιράδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων,* non ita hoc capiendum, ac si numerus Angelorum ibi determinetur; sed maximam illorum & fere innumerabilem esse multitudinem indicatur. Ut autem dici nequit, infinitum esse Angelorum numerum, ita mentis contra infirmitatem proderet, qui numerum illorum, nemini quippe mortali cognitum, definire aliqua ratione vellet. Placuit tamen nonnullis veterum, eam esse rationem multitudinis hominum, ad Angelorum numerum, quæ est unius ad nonaginta novem. Id namque parabolam illam hominis suadere putant, qui centum oves habens, unam amisit, quam, relictis nonaginta novem, quæsitum abiit, & inventam humeris reportat. Luc. IV, 4. Matth. XIX, 12. Ita *Hilarius, in Matthæum, Cap. 18, & Cyrillus Hierosolymitanus, catech. XV, p. m. 28. edit. Thom. Milles.* Quæ, quam lubrica atque infirma sint, nemo non intelligit. *conf. Dion. Petavius dogm. theol. tom. 3. de Angelis, Lib. 1. Cap. 14. p. 45. & observ. meæ sacre philol. p. 97.*

CAP. VII.

De Statu & Domicilio Angelorum
bonorum.

§. I. Status

Status Angelorum bonorum est duplex, unus *originalis antecedens*, qui in eo constitit, ut tum facultates sibi invicem & finis suo conformes habuerint; tum habitus acquisiverint legitimo harum facultatum exercitio, tum in periculo labendi extiterint; qui etiam status gratiæ analogice vocari solet. Et hac ratione adferri solet, Angelos quoque ad imaginem Dei esse conditos; siquidem in hoc statu variis gavisi sunt gratiæ diviniæ donis, luce scilicet quadam singulari, ac sapientia, qua intellectum; qua voluntatem, amore summo Numinis, reliquas virtutes omnes complectente: Finis nimirum, ob quem Deus angelos creavit, ut per visionem Dei summa & æterna beatitudine fruerebantur, hoc postulabat ut perfectiones ad eam consequendam necessarias, iis conferret. Absolum etiam foret, si quis diceret, Deum velle finem nec tamen media, quibus obtineri queat, concedere. In intellectu igitur non poterat non adesse lux, seu cognitio longe excellentissima, earum præcipue rerum, quæ ad finem istum constitutum faciebant, sese exerens. Ex ista præterea, qua pollebant, luce, seu cognitione Dei præcipue, rerumque divinarum, non poterat non quoque in voluntate illorum summus excitari Numinis amor, qui simul fiduciam in Deum, obsequium & reliquas virtutes omnes, quæ in eos, seu spiritus, cadebant, complectebatur. Summatim hoc ipse Salyator indicat, Joh. IX, 44. quando, diabolum non perstruisse in veritate dicit. Etenim *ἂν ἀλλ' ἑταῖρα* veracitas, fidelitas, sinceritas illa; sine amore Numinis esse non potuit, uti hic per cognitionem sufficientem, atque effectui respondentem, excitatur. Libertate autem voluntatis in hocce statu Angelos gavissos, vel lapsus malorum testatur.

§. II.

Alter est *Status confirmationis consequens*, qui gloriæ etiam status vocatur, & consistit in eo, ut tum per habituum legitimum incrementa aberrandi periculum superaverint, tum ipso Deo, summo bono, immediate & magis quam antea fruantur.

Deus



Deus namque ex gratia singulari bonos Angelos, eo quod in obedientia perstitissent, lumine gloriæ implevit, ut ipsum intuitive cognoscere possent; Ideoque faciem Patris cœlestis videre dicuntur, Matth. XIX, 10. Neque tamen mere speculativa est ista intuitiva cognitio, quin potius ita comparata, ut summum intensissimumque in voluntate producat Numinis amorem. Hinc autem porro gaudium summum atque perenne, & quicquid omnino spiritum aliquem felicem reddere potest. Atque hæc est illa Dei fruitio, indeque resultans beatitudo, per quam Angeli boni ita confirmati sunt, ut labi amplius nequeant. Etenim Matth. XIX, 10c diserte dicitur: quod faciem Dei Patris cœlestis semper videant; quæ visio extra controversiam statum beatitudinis denotat, quocum confirmatio in bono est conjuncta. Egregium igitur illud beneficium suæ obedientiæ consecuti sunt, ut in bono ita sint confirmati, ut ab illo tempore usque in omnem æternitatem nec labi nec peccare possint. Cum antea in illis libertas contrarietatis & indifferentiæ esset, id est, eorum voluntas tum ad bonum, tum ad malum flexi; aut ab hoc ad illud deflecti posset, jam nunc in illis est libertas contradictionis & excellentiæ, voluntas tantum ad bonum, non quidem per coactionem, indefuenter tamen & immutabiliter inclinata. Licet igitur ita in bono sint confirmati, ut peccare amplius nequeant, non tamen omni prorsus carent libertate. Plurima enim si se iis offerant bonorum genera, fieri potest, ut aliquando aut velint, aut nolint, aut præ uno alterum eligant. Peccare autem, sive mala eligere, quod nequeant, ad eo pro defectu quodam, aut imperfectione habendum non est, ut summæ potius perfectionis sit argumentum.

§. III.

Nequaquam vero gloria Angelorum in bono confirmatorum absoluto Dei decreto aut merito Angelorum accepta est referenda. Decretum enim Dei absolutum omnem prævisam conditionem in subjecto eligendo implendam excludit. At decretum Dei eligentis Angelos non omnem conditionem in ipsis implendam excludit. At decretum Dei eligentis Angelos non omnem conditionem in ipsis implendam

implendam excludit. Ergo, Minor^o probatur, α) Ex harmonia decreti & executione illius. Sicut enim Deus in tempore beatitudinem non nisi illis contulit Angelis, qui in bono perseverarunt: ita decretum æternum de Angelis aliquando salvandis nitebatur prævisione illius conditionis in tempore implendæ. β) Ex opposito; sicut Diaboli non ex absoluto Dei decreto reprobati sunt, sed quia non steterunt in veritate, Joh. IIX, 44. Ita Angeli boni ad gloriam electi & evekti sunt, quia steterunt in veritate & principatum suum non deseruerunt. Jud. v, 6. 2, Per. II, 4. Neque verò etiam merito hanc felicitatem consecuti sunt. Meritum enim est præstatio operis indebiti in alterius commodum directi ad obtinendam mercedem operi proportionatam. At quicquid boni operis Angeli viatores expediverunt; id fuit omnino debitum; eo quod ad illud præstandum jure creationis, conservationis & gubernationis fuerunt obligati: neque cessit in commodum creatoris; quippe qui beatissimus nullo commodo augeri potest: neque datur proportio ulla inter obsequium Angelicum temporale & æternam gloriam, qua Angeli sunt coronati; hinc sponte nunc sequitur, quod illa gloria liberalissimæ bonitati Dei perseverantem Angelorum obedientiam ultra condignum remunerantis tribuenda sit.

§. IV.

Notanda hæc sunt contra Arminianos & alios, qui putant, Angelos bonos adhuc peccare posse, neque Angelorum confirmationem in bono ex Scriptura sacra constare. Ex quo principio Hugo Grotius Arminianizans statuit, non semel tantum Angelos defecisse; sed vel adhuc hodie Angelos bonos deficere posse. Sic enim in suis annotationibus ad Epist. Gal. I, 8. scribit: *Quod de Angelo dicit, est quidem exaggeranter dictum, non tamen plane aduvarum. Nam Angeli desertores olim in celo fuere, neque semel; sed sæpius accidisse, ut Angeli ex bonis mali fierent, putant Hebraei. Ante Grotium jam hoc docuerunt cum Judæis Origenes, Olympiodorus, & multi alii, de quibus conf. Thomas Milles, in annotat. ad Cyrillum Hierosolymitanum, Oxon. 1703. edit. p. 22. Contra Grotium conf. Calovius in Bibliis illustratis ad Gal. 1, 8. Tom. II. N. T. p. 535. Et in System. Theolog. Tom. IV. p. 69. Et Joh. Friedr. Meyer in Disp. de confirmatione Angelorum in bono.*

E

§. V.

§. V.

Considerandum notis porro *Domicilium* seu *Habitaculum*, ubi locorum Angeli commorentur. *Salvator noster* dicit: in cœlis, *Matth. XXIX. 10.* Notatu certe dignum est, quod Angeli, qui pusillis ministrant, eos custodiunt, in manibus gestant, & circa ipsos castra metantur; hæc officia, omnia in terris expediant; & nihilo minus faciem Patris in cœlis videre dicantur. Unde manifestissimum est, cœlum, in quo Deus cum Majestate sua residet, non per tot myriadas miliarium ultra supremum hoc aspectabile cœlum abesse, sicut aliqui arbitrantur. Alioquin enim Angeli, quia non possunt in pluribus locis simul esse, non possent & in terris infantibus ancillari, & in cœlo Deo sua servicia præstare. Cœlum itaque, terra & infernus, non locorum intervallis, sed beatitudinis & infelicitatis respectu distinguuntur. Ut *Aug. de templ. habitac. Bernh. in L. de anima, C. 38.* & alii Doctores ecclesiastici pluribus docent. *Gerh. Harm.*

§. VI.

Quomodo autem istud cœlum se habeat, nescimus. Equidem Romani Scholastici. & qui cum illis hanc litem faciunt, hic valde sunt audaces; vocant hoc cœlum, cœlum crystallinum & Empyreum; multa fabulantur, utrum sit quadratum, an rotundum, quænam in eo sint cellulæ & camerae, aut conclavia, aut porticus, non secus ac si jam præcursorem aliquem præmississent, certique quoad omnes circumstantias facti essent de omnibus. Verum puerilia sunt hæc somnia, auctoribus relinquenda. *Stat immotum: Oculus non vidit, & auris non audiit, & super cor filii hominis non ascendit, quod Deus scilicet preparavit eis, qui diligunt ipsum. 1 Cor. II. 2.* Quæ verba, ut Apostolus de ipsis gratiæ regni fructibus, quibus in hac vita ex Dei dilectione fideles potiuntur; ita multo magis illa de statu Angelorum vera esse, minime dubitandum.

CAP. IX.

De Officiis Angelorum bonorum.

§. I.

audho un... §. I.

Negotia, quibus occupantur Angeli, quoad ex Scriptura sacra cognoscuntur, in eo consistunt, ut Deo *vel mediate, vel immediatè* serviant, ipsique debita officia, cum felicitate ipsorum conjunctissima præstant. *Ad immediata servitia pertinet* ut 1) Deum intuitive cognitum venerabundi colant, & laudibus summis celebrent; Jcf. VI, 3. Ps. CIII, 20. CXLIX, 2. Matth. XIX, 10. Eph. III, 10. Luc. II, 13. Apoc. V, 4. 2) Christo in primis civitatis divinæ rectori appareant, illumque etiam secundum humanam naturam adorent. Ps. XCVII, 7. Ebr. I, 6. Apoc. V, 11. 12. Matth. IV, 11. Luc. XX I, 43. 3) Demum ipsius mandatis obtemperent, justique voluntatem ejus exequantur, tam in regno naturæ, quam in regno gratiæ. Act. VII, 53. Luc. I, 11. Act. I. Ebr. I, 14. Matth. XII, 13. XXIV 30. 31. XXV, 31 huc etiam spectat, quod judicia Dei quandoque exercent, Gen XIX, 11. Act XII, 23.

§. II.

Servitia Angelorum mediata, quæ hominibus propter Deum præstant, sunt *vel Communia, vel Particularia*. Ad *Communia* referuntur illa ministeria, quæ in promovenda societatum humanarum utilitate subeunt; ubi singulis hominum statibus inserviunt; tum *Ecclesiastico*, promovendo veritatum divinarum annunciationem & applicationem. Quod Doctoribus, causam Dei agentibus, adsint, eorumque curam gerant, vel ex Zach. III 7. constat. Cum lex Mosaica in monte Sinai promulgaretur, integri exercitus Angelorum aderant. Id Stephanus Proto-martyr indicat, Judæos legem accepisse dicens, *εις διαταγὰς ἀγγέλων*, hoc est, *in διαταγὰς*. Act. VII, 53. Vocem enim *διαταγή* militarem esse, & aciem instructam quandoque denotare, viris doctis observatum est. Hinc & eodem fere modo *ὁ νόμος διαταγὰς δι' ἀγγέλων*, a Paulo dicitur, Gal. III, 19. conf. Deut. XXXIII, 2. Angelorum vero quoque in statu Ecclesiastico cura inde quoque intelligitur, quod idololatriæ sese opponant; Jud. v. 9. Præsentia Angelorum homines, cum alias, tum etiam in functionibus Ecclesiasticis, ad modestiam & circumspectionem impellere debet; 1 Tim. V, 21. De illis,

E 2

illis,

36314

illis, qui litterarum, cum primis sacrarum, studia tractant, adhuc addendum, cum plurima Ecclesiae aut commoda aut incommoda adferre queant, Angelorum eos specialiori quadam ratione curam experiri. conf. *Lang in Protheoria eruditionis humana univ. cap. V. p. 178.* Tum *statui Politico*, tranquillitatem & salutem Reipublicae procreando. Singulorum hominum curam cum Deus Angelis demandaverit, sequitur multo magis, eorundem in regnorum, Rerum publicarum, integrorumque populorum, hinc & Regum ac Principum factis dispensandis, opera illorum uti, quod & ex Dan. X. 13. 2. Reg. XIX. 35. Esa. XXXVII. 36. colligi solet. Tum *Domestico*, necessitatibus quotidianis & infantibus maxime educandis opem ferendo, Genes. XXIV. 7. Job. I. 10. Matth. XIX. 10.

§. III.

Particularia Angelorum servitia, quae piis hominibus exhibent ob arctiorem eorundem cum Christo conjunctionem, eo potissimum redeunt, ut tum illos custodiant, innumera vitae & salutis pericula averruncando, Gen. XIX. 10. XXXI. 2. XXI. 17. 2. Reg. VI. 16. 17. Psal. XC. I. 11. Dan. VI. 22. Act. V. 19. XII. 7. XXVII. 23. tum intimiorem illorum cum Deo conjunctionem voluntatisque ejus executionem promoveant, Ebr. I. 14. XII. 22. tum denique ipsis animam agentibus, vitaeque defunctis subveniant, Luc. XVI. 22. 27. 2. Reg. II. 11.

CAP. IX.

De Angelis Tutelaribus.

§. I.

Disputatum est a Patribus, & primum ab Origine, quando nobis Angeli custodes adduntur, utrum illud fiat statim in nati-
vitate

virate, an demum post regenerationem? item, utrum unusquisque hominum habeat peculiarem Angelum, an vero pluribus unus custos sit additus? an uni homini plures Angeli custodes sint adhibiti, prout Jacobus Gen. XXXII. 1, 2. vidit castra Dei, & Elifaeus 2 Reg. VI, 16, 17. vidit montem pleam equorum & curruum igneorum in circuitu sui. Item, disputatum est, utrum soli pii habeant Angēlos adjunctos; an singuli homines; Denique aliqui asseruerunt, cuius homini ab infantia duos Angelos, bonum & malum, esse additos.

§. II. In his disputationibus singuli caveant, inquit *Gerhardus in Harmonia Evangel*, ne ingenio suo nimis indulgeant, & temerariis assertionibus praesumant, aliquid statuere de eo, de quo nemo hominum certus esse potest, donec veniat in regnum Angelorum & fiat ἰσάγγελος. Sufficiat nobis in hac regione mortalium hoc ex S. S. novisse, quod non tantum regionibus & populis, Angeli a Deo sint custodes & tutores constituti, ut patet Exod. XXIII, 20. Dan. X, 13, 20. sed etiam pii de praesidio Angelorum, five unius, five plurium certi esse possint, Ps. XXXIV, 8. XCI. 11. Ebr. I, 14.

§. III. Rem paucis ut complectar, singulis electis, arbitror, singulos Angelos praesidii causa adjunctos esse, modo unum, modo plures, prout nimirum Deo visum fuerit; quod ceti calculo suo comprobatur certissima oraculorum divinatorum veritas. Ps. XCI, 11. Ps. XXXIV, 8. Luc. XVI. 22. Admodum probabile igitur est, non solum in servitorum communium negotiis obeundis singulos Angelos eorumque ordines singulis vicissitudinum speciebus per singula loca praesse; verum etiam tutelares Angelos hominibus adjunctos. Act. XII, 15. Math. XII, 10.

E ;

§. VI.

§. IV.

Quæritur etiam ab Ecclesiæ Doctoribus, utrum ministerium competat tantum aliquibus, an omnibus in genere Angelis? Diversæ sunt iterum sententiæ. Quodsi antiquitatem consulimus, deprehendimus, quod Philosophi nonnulli veteres statuerint, aliquos Angelos non missos esse ad ministeria, sed eos semper Deo assistere. Scaliger Exercit. 359. Sect. 8. putavit, Angelos habere tres classes, quibus singulis tribuit officia. In prima classe esse quosdam, qui assistunt; in secunda esse quosdam, qui ministrant; in tertia, qui orbem moveant. Verum de his classibus Scriptura nihil novit; potius restatur ministeria Angelis esse communia, & tribuit rō assistere & ministrare omnibus omnino Angelis. Unicum dictum Ebr. I. 14. rem planam facit & claram, quod dicit: *Omnes Angeli sunt spiritus ministratorii.* Si tantum quidam ministrant, de omnibus auctor epistolæ non enunciaisset.

§. V.

Tob. XII. 15. Apoc. IIX. 2. refertur, septem Angelos stare coram Deo, sed hoc non intelligendum est *inclusive*, quasi coram Deo adstantes non mitterentur ad ministeria; sed *inclusive* & *synecdochice*, ut numerus certus ponatur præincerto, & numerus septenarius, qui est sanctus & perfectus, contineat totam universitatem Angelorum, quia omnes Deo libere obediunt, & expediunt mandata ejus.

§. VI.

Hoc unicum adhuc silentio non est prætereundum; licet Angelorum custodia certa sit, & nobis salutaris, caveamus tamen, ne seducti eos colere vel adorare velimus. In Papatu certas habent præcariunculas, ad Angelum custodem directas. Liber unam adscribere: *Obsecro te Angelice spiritus, cui ego indignus peccator ad providendum commissus sum, ut me, ubicunque fuero, vigilantem, dormientem, indefinenter protegas, defendas, munias ab omni incurso diaboli*

bels

bol. Repelle a me per virtutem S. crucis omnem tentationem Satana. Et quod mea non exigunt merita, tuis precibus obtineam apud altissimum Iudicem, ut nihil in me loci habeat. Et hæc quidem Pontificii precantes recte se facere arbitrantur. At nos audiamus sanctum illum angelum, qui Johanni revelationem Christi monstravit, & ramen eidem ad pedes ejus, ut ipsam adoraret, prostrato bis dixit; Apoc. XIX. 10. XXII. 9. Vide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu, Deum adora.

CAP. X.

De usu hujus doctrinæ.

§. I.

Tandem tractationi meæ finem impositurus, mihi nunc usus quosdam ex hac doctrina eliciendos, quantum vacat, addere incumbit. Nam omne id, quod facere vel scribere volumus, finem suum habeat, ac utilitatem adferat; necesse est, quæ & hac doctrina non caret. Officia vero ad quæ hac doctrina obligamur in eo consistunt. Ut 1) pro beneficiis ab ipsis in nos profectis Deo gratias habeamus & agamus, 2) ut, ipsorum præsentiam veniti, non solum ab illis offendendis sollicitè nobis caveamus; verum etiam in procuranda ipsorum voluntate & amicitia studiose elaboremus, 3) ut ab hostili in ipsos animo turbandisque illorum negotiis abhorreamus; atque ut illos 4) quoad fieri potest maxime, imitemur, & sanctissima sapientia, & adoratione Dei, & obedientia perpetua, & aliis inserviendi voluntate, & ordinis denique observatione.

§. II.

Præterea officii nostri est; 1) nimium Angelorum cultum in supremum Domium communem fugere, 2) Societati & consuetudini

tudini ipsorum operam dare, atque de auxilio ipsorum recte utendo laborare. Et 3) opus redemptionis ipsorum exemplo & opera in eo manifestando collocata magnificare, debitaque veneratione celebrare.

§. III.

Solatia ex hac doctrina capienda in eo consistunt; ut 1) ex divina ordinatione Angelorum ad utilitatem nostram provehendam de voluntate Dei in nos certiores fiamus. 2) Ut multa ex ipsorum societate commoda speremus & expectemus. 3) Ut eosdem in ipsa morte, ubi ab amicitia amicorum & hominum deserimur, nobis adfuturos cogitemus. 4) Ut de futuro ipsorum consortio magna felicitatis æternæ parte gaudeamus. Et 5) de amplissima Dei civitate nostrisque prærogativis in æstiori cum Christo conjunctione magnificenter sentiamus. DEO autem T. O. M. Angelorum Creatori & Domino, sit laus & gloria in secula seculorum.

F. L. N. I. S.

Continuatio harum meditationum proxime sequetur; proponemus autem in illis Doctrinam de Angelis seu spiritibus malis, illorumque operationibus in hoc mundo. Ubi inter alia & occurret materia & doctrina de Obsessis, Magia, Pactis cum diabolo, Spectris, & quæ reliqua sunt. In summa selectissima & non admodum trita, ex Pneumatologia in hoc tractatu conspicienda dabimus.




EO - Beg 2002

01 A 6739

ULB Halle
003 096 890

ULB Sachsen-Anhalt
Ausschließen



datum: 2008

Sb.


D.

Reh. ✓

Juli

46






MEDITAT
CO
QUÆSTIONES

ATTE M
ELABORA

JOHANN. VAL
SS. THEOL.



TYPIS EBERH. HENI
M



B.I.G.

Æ
CAS
A
R,
GR.

25

